Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35053
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore

et in predicatione quibusdam prodesset
Ideo hunc post resurrectionem domini
patentius acceperunt ut prodesse non
paucis sed pluribus possent. Unde
et in hac ipsa datione spiritus dicitur
Quorum remiseritis peccata remit-
tuntur eis. et quorum retinueritis
retenta sunt. Libet intueri illi
discipuli ad tanta onera humi-
litatis vocati. ad quantum culmen
glorie sunt perducti. Ecce non solum
de semetipsis securi fiunt sed etiam
aliene obligationis potestatem
relaxationis accipiunt principatum-
que superni iudicii sortiuntur ut
vice dei quibusdam peccata retine-
ant quibusdam relaxent. Sic
eos a deo decebat erigi. qui tan-
tum pro deo consenserant humiliari
Ecce qui districtum dei iudicium me-
tuunt. animarum iudices fiunt. Et
alios dampnant vel liberant. qui
semetipsos dampnari metuebant
Horum profecto nunc in ecclesia epi-
scopi locum tenent. solvendi ac ligandi
auctoritatem suscipiunt. qui gradum
regiminis sortiuntur. Grandis ho-
nor sed grave pondus istius est ho-
noris. Durum quippe est ut qui
nescit tenere moderamina vite sue.
iudex fiat vite aliene. Et ple-
rumque contingit ut hunc iudicii
locum teneat cui ad locum vita
minime concordat. Ac sepe agi-
tur ut vel dampnet immeritos
vel alios ipse ligatus solvat.
Sepe in solvendis ac ligandis
subditis. sue voluntatis motus.
non autem causarum merita sequitur

Unde fit ut ipsa hac ligandi et
solvendi potestate se privet qui
hanc pro suis voluntatibus et non
pro subiectorum moribus exercet. Se-
pe fit ut erga quemlibet proximum
odio moveatur pastor. Iudicare
autem digne de subditis nequeunt.
qui in subditorum causis sua vel
odia vel gratiam sequuntur. Unde
recte per prophetam dicitur. Mor-
tificabant animas que non mori-
untur et vivificabant animas que
non vivunt. Non morientem
quippe mortificat qui iustum
dampnat. et non victurum vivifica-
re nititur. qui reum supplicio
absolvere conatur. Cause ergo pen-
sande sunt et tunc ligandi atque
solvendi potestas exercenda est. Vi-
dendum que culpa aut que
sit penitentia secuta post culpam ut
quos omnipotens deus per com-
punctionis gratiam visitat. et
illos pastoris sententia absolvat.
Tunc enim vera est absolutio presiden-
tis. cum interni arbitrium sequitur
iudicis. Quod bene quadriduani
mortui resuscitatio illa signifi-
cat que videlicet demonstrat quia
prius mortuum dominus vocavit et
vivificavit dicens. Lazare veni
foras. et postmodum qui vivens
egressus fuerat a discipulis est
solutus. Sicut scriptum est. Cumque
egressus esset qui ligatus fuerat
institis. tunc dixit discipulis
suis. Solvite eum et sinite abire.
Ecce iam illum discipuli viventem
solvunt quem magister resuscitaverat
mortuum. Si enim discipuli lazarum